

## INCIPIT AD COLOSSENES

<sup>1</sup> Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater:<sup>\*</sup> <sup>2</sup> eis, qui sunt Colossis, sanctis, et fidelibus fratribus in Christo Jesu. <sup>3</sup> Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias agimus Deo, et Patri Domini nostri Jesu Christi semper pro vobis orantes:<sup>†</sup> <sup>4</sup> audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in sanctos omnes <sup>5</sup> propter spem, quæ reposita est vobis in cælis: quam audiatis in verbo veritatis Evangelii: <sup>6</sup> quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit sicut in vobis, ex ea die, qua

\* <sup>1:1</sup> Argumentum Colossenses, sicut et Laodiceses, sunt Asiani, et ipsi præventi erant a pseudoapostolis, nec ad hos accessit ipse Apostolus, sed eos per epistolam corrigit. Audierant enim verbum ab Archippo, qui et ministerium in eos accepit. Ergo Apostolus jam ligatus scribit eis ab Epheso per Tichicum diaconem, et Onesimum acolythum. Paulus. Solito more salutationem præmittit. Qua præmissa de bonis eorum gratias agit, et fidem et dilectionem commendans orat, ut perficiantur in Christo, cuius beneficia et primatum secundum utramque naturam commendat; deinde sui ministerii dignitatem commemorans monet ne per prophetiam vel legis cæremonias seducti a Christo recedant; tandem omnes simul secundum sexus et ætates et conditiones moraliter instruit, et in fine Archippum commonet sollicitum fore suscepti ministerii. Apostolus, etc. Nota omnibus dignitate recte hic apostolum se nominat, quia et his apostolus erat, quibus per discipulos suos prædicaverat. † <sup>1:3</sup> Gratias agimus. Ostendit bona quæ receperunt, dum pro his gratias agit.

audistis, et cognovistis gratiam Dei in veritate,<sup>‡</sup>  
<sup>7</sup> sicut didicistis ab Epaphra carissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu,<sup>§</sup> <sup>8</sup> qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.<sup>\*\*</sup> <sup>9</sup> Ideo et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali:<sup>††</sup> <sup>10</sup> ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei:<sup>#‡</sup> <sup>11</sup> in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate cum gaudio,<sup>§§</sup> <sup>12</sup> gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem

<sup>‡</sup> **1:6** Sicut, etc. Id est, ita pure et vere, sicut per me et alios venit in universum mundum, et adhuc manet in eo, quasi dicat: Non minus vobis factum est, quam in aliis ecclesiis. Cum sit in mundo Evangelium, fructificat ibi per bona opera, et crescit augmento scientiae, et numero fidelium. Non per hoc ii plus habent quam vos, sed ita hoc facit Deus, sicut est in vobis, et ideo nil debetis superaddere. **§ 1:7** Pro vobis, etc. Quorum salutem desiderans, cœpit Archippum adjuvare. <sup>\*\*</sup> **1:8** In Spiritu. Quia pro spiritualibus, non pro carnalibus diligitis. <sup>††</sup> **1:9** Impleamini in omni. Magnum est plene scire quid Deus velit, in omnibus rebus activæ vitae et contemplativæ. <sup>#‡</sup> **1:10** In scientia. Ut non ignorent fidei suæ speciem, id est rem speratam, unde firmi erunt. **§§ 1:11** In omni virtute. Vos dico confortati a Deo in omni virtute, castitate scilicet et cæteris. Quod bene potest ille qui est claritas Patris, id est Filius. Vel secundum quod claram cognitionem vobis dedit.

sortis sanctorum in lumine:\*\*\* 13 qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ,††† 14 in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum:††† 15 qui est imago Dei invisibilis, primumgenitus omnis creaturæ:\$\$\$ 16 quoniam in ipso

---

\*\*\* 1:12 Gratias agentes. Jam incipit dicere quod lex non prodest, sed nocet, et Christus ad omnia bona sufficit: quod inde potest sciri, cum ipse et alii apostoli (qui in legalibus fuerant) eis dimissis ad Christum confugerunt: Quasi dicat: Pro vobis oramus nos, gratias agentes Deo, ideo quia nos dignos facit, quod nunquam lex potuit. Dignos nos fecit. Non in lege, sed in lumine, id est per Deum qui est lumen de lumine, cuius gratia illuminamur. Vel in lumine, id est in clara cognitione, a quo devians cadit in tenebras. Sortis. Voluntas Dei, in humano genere sors est apud quem non est iniquitas, sed omnia facit per justitiam, etsi occultam. ††† 1:13 Eripuit nos de potestate. Id est de inferno, in quo tenebamur a diabolo: tam ex proprio quam ex delicto Adæ. Et transtulit, etc. Quando attollens nos de imo tartari, induxit in cœlum cum unico Filio suo. Jam enim credentes, qui fixa mente devoti sunt, exeuntes de sæculo duce dexteræ Patris angelo inducuntur in cœlum. Regnum Filii. De quo ipse dicit: Regnum meum non est de hoc mundo; non ait: Non est hic, sed, non est hinc, quia peregrinatur quidem in mundo, sed non est de mundo. Regno enim suo dicit, De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo. Erant de mundo, quando ad mundi principem pertinebant. ††† 1:14 Redemptionem. Destructa potestate diaboli facultas libertatis nobis data est fuso illius sanguine, qui nullum habuit peccatum. Ut quia diabolus illos merito tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito poena mortis affecit. \$\$\$ 1:15 Qui est imago. Aliter imago regis est in nummo, aliter in filio. Nos sumus nummus, in quibus imago Dei Christus Filius. Nulla imago Dei debet coli, nisi illa quæ, hoc est quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo.

condita sunt universa in cælis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt: <sup>17</sup> et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. <sup>18</sup> Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primum tenens: <sup>19</sup> quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: <sup>† 20</sup> et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. <sup>‡ 21</sup> Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis: <sup>§ 22</sup> nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem,

---

\* **1:18** Caput corporis Ecclesiæ. Quia ita se habet ad Ecclesiam, sicut caput ad corpus. Et cum Ecclesia ab Abel cœpit, quomodo caput eorum? Bene, quia est principium Ecclesiæ, id est fundator. Qui est principium. Ecclesiæ secundum divinitatem, id est fundator Ecclesiæ, quia omnes justos, qui ab Abel usque ad ultimum justum generantur virtute divinitatis et misericordiæ suæ dono illuminavit. Secundum humanitatem etiam potest dici principium Ecclesiæ, quia super fidem humanitatis ejus fundata est. Et bene ipse est caput et principium, et rector, et fundator, quia ipse est primogenitus, etc. Primogenitus, etc. Sicut natus est ante omnia de Deo, ut omnia crearet, sic homo primus resurgit, ut restauret, ut semper sit primus et princeps. † **1:19** Plenitudinem. Quia omnia potest ex se; unde: Sicut Pater habet vitam in se, sic et Filius qui suscitat et vivificat quos vult, sic ostenditur perfectus Deus esse.

‡ **1:20** Per eum reconciliare. Deo placuit per eum reconciliare, et ipse pacificavit non gratis, sed per sanguinem cœlestia et terrestria, unde patet homini introitus in cœlum. Omnia per eum facta, in ipso auctore vivunt. § **1:21** Alienati et inimici consilio ejus, quod idem valet, quia non receperunt quæ per Moysen mandavit Deus utpote devotí idolis suis.

exhibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso:\*\* 23 si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cælo est, cuius factus sum ego Paulus minister.†† 24 Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionem Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia;‡‡ 25 cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei:§§ 26 mysterium, quod absconditum fuit a sæculis, et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, 27 quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, 28 quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, et

\*\* 1:22 Reconciliavit in corpore. Si mortalis et mortuus potuit reconciliare, jam immortalis potest omnia facere. †† 1:23 Si tamen permanetis. Ideo tot et tanta dixerat de Christo, ut ipsi ponant spem in eo solo, in quo omnia sunt; non alicui elementorum vel angelorum se subjiciendos putent: hic solus colendus est, et ad hunc non æstimandus est quisquam. In universa. Quæ nova creatura modo est sub cælo, adhuc tamen est peregrina, sed tamen veniet ad gloriam. ‡‡ 1:24 Adimpleo. Ea passionum quæ Christus sustinuit, vel quæ modo sustinere præcepit, quæ adhuc desunt adimpleo, id est paratus sum pati. §§ 1:25 Factus sum ego. Ministrum Evangelii a Deo per Christum se factum dicit, ut ministerium a Deo cœptum, per idoneum servum impleatur, quod ignotum fuit a sæculis. Data est mihi. Ut impleam quod Deus præordinavit de vobis, vos scilicet per incarnationem salvari. Hoc dicit, ne videatur salus non esse promissa gentibus. Vel, mihi data est in vobis, tantum est enim quod a meis quæritur, quantum si a meipso.

docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu:\*\*\* 29 in quo et labore, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute.

## 2

<sup>1</sup> Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiciæ, et quicumque non viderunt faciem meam in carne:<sup>\*</sup> <sup>2</sup> ut consolentur corda ipsorum, instructi in caritate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu:<sup>†</sup> <sup>3</sup> in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. <sup>4</sup> Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.<sup>‡</sup> <sup>5</sup> Nam etsi

\*\*\* **1:28** Corripienes. Contradicentes corripimus et vincimus, et obedientes docemus. In omni sapientia. Vera sapientia est, cum Christus agnoscatur. Ut exhibeamus, etc. In quo. Quasi dicat: Labori meo adjungit Deus miracula ad confirmationem. \* **2:1** Volo, etc. Sequitur: Pro vobis. Non enim minus pro his quos non vidit, quam pro his quos vidit sollicitus fuit Apostolus. † **2:2** Instructi in charitate. Quam Deus ad nos habuit, qui pro nobis Filium tradidit. In omnes divitias. Id est copias intellectus pleni, ubi perfecte de humanis et divinis habeant intellectum, velut de anima et de supernis spiritibus. Aliter enim nemo ad cognitionem Dei ascendit. Dei Patris, etc. Ut sciatis quod alia persona sit Pater a Filio, quamvis idem in substantia cum eo. Ad cognitionem si tenditis, ad Christum tantum recurrite, quia in eo sunt omnes copiæ, sed absconditæ, et ideo ne miremini si in Christo estis, et eas nondum invenistis, quia non omnibus patent, sed his qui petunt et pulsant. ‡ **2:4** Hoc autem. Non solum dico ut ad ea tendatis quæ nondum habetis, sed ut nemo decipiat, et ratione mundanarum rerum abstrahat a spe quæ est in Christo.

corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens, et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ. § 6 Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, 7 radicati, et superaedificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.\*\* 8 Videte ne quis vos decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum:†† 9 quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:†† 10 et estis in illo re-

---

§ 2:5 Sed et spiritu. Sanctis datum est in spiritu videre remota. Caveant ergo sibi quorum actus magistrum non latent. Gaudens. Per hoc promptiores facit circa Evangelium, quia gaudere se dicit in dispositione conversationis eorum et fidei stabilitate, ut scientes unde placeant Deo in eo fierent firmiores. \*\* 2:7 Radicati. Minores in activa vita. Super alios aedificati in ipso. Id est vos maiores qui in contemplatione estis. †† 2:8 Fallaciam. Quod de lege pseudoprædicatores dicunt. Et inanem. Quia in hac falsitate nulla utilitas, quod solet aliquando esse in falsis. Secundum elementa. Illos tangit qui prudentius idola exponunt dicentes, Juno est ær, Neptunus mare; ideo cum diceret secundum philosophiam et inanem, addit, secundum elementa mundi: quasi admonens ne qualescunque adoratores simulacrorum, sed et quasi doctores et interpretatores signorum cavendos esse. †† 2:9 Corporaliter. Non quia corporeus sit Deus, sed verbo translato usus est, quia in templo manufacto, non corporaliter, sed umbratiliter habitavit, id est præfigurantibus signis. Corporaliter, quia in Christi corpore quod sumpsit de virginе tanquam in templo habitat Deus, sed non ita in sanctis, quia ille caput in quo omnes sensus, insistit; quasi solus tactus, quibus datus est spiritus ad mensuram, de quibus non potest dici: Verbum caro factum est Joan. 1., nec quisquam illorum dicitur unigenitus Dei.

pleti, qui est caput omnis principatus et potestatis: <sup>11</sup> in quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: <sup>12</sup> conseptuli ei in baptismo, in quo et resurrexisti per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. §§  
<sup>13</sup> Et vos cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: <sup>14</sup> delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci:\*\*\* <sup>15</sup> et expolians principatus, et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in

§§ **2:12** Conseptuli ei. Id est ad similitudinem sepulturæ ejus baptizati. Per fidem operationis. Id est credendo opera Dei. Exponit unum de operibus Dei, quod præcipue necesse est credere volentibus resurgere, scilicet quod Christum suscitavit Deus, et quod exemplo Christi suscitabit illos unde subdit: Qui suscitavit, etc. \*\*\* **2:14** Delens. Non solum vobis gentibus Deus donavit, sed et nobis Judæis prævaricationes, quæ sunt ex lege, dimisit. Et hoc, Delens. Chirographum. Dicit peccatum Adæ, quod tulit et fixit cruci, non autem solum alia: quia nisi hoc et alia tolleret, non liberaremur a morte et inferno. Dum innocens occiditur, peccatum crucifigitur. Decretum, est sententia in cunctis hominibus adversa, qua dictum est: Morte moriemini, etc. Affigens illud. Ut jam cesseret, cum omnia sacrificia in oblatione veri agni sint adimpta.

semetipso.††† 16 Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: 17 quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.‡‡‡ 18 Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ,§§§ 19 et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, et conjunctiones subministratum,

---

††† 2:15 Exspolians principatus et potestates. Auferendo Abraham, Isaac et cæteros justos. Traduxit, longe ab hoc regno ad cœlum duxit. Confidenter. Id est cum spe victoriæ. Triumphans, id est expugnans illos in cruce, quod non est in abscondito, sed palam. Si quis enim perfectionem Ecclesiæ respicit, aperte videtur victus antiquus hostis. Vel, principatus et potestates traduxit, id est ab Ecclesia exterminavit. Triumphans illos in semetipso. Morte sua. Uno quippe verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat (unde nos principatus et potestates ad luenda supplicia vitæ detinebant), extinxit: unde ergo accepit diabolus exterior potestatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interior quæ nos tenebat potestas ejus occisa est. ‡‡‡ 2:17 Quæ sunt umbra, etc. Tunc fuerunt hujusmodi præcepta, quæ non servare peccatum erat, nunc testimonia et confirmatio veritatis. Ego Scriptura quæ tunc fuit exactrix operum significantium, nunc testis est rerum significatarum: et quæ tunc observabatur ad prænuntiationem, nunc recitat ad confirmationem. Corpus autem. Id est, veritas hujus umbræ est Christi, id est, ad Christum pertinet. Vel illa omnia sunt corpus Christi, id est significant corpus Christi, vel quod sumpsit de virgine, vel quod est Ecclesia. §§§ 2:18 Volens. Id est amans ea quæ non vidit. Vel, volens scilicet suadere quæ non vidit, scilicet legis cæremonias quarum rationem ignorat. Inflatus. Non aliud intelligit inflatus quam sensualitas capit.

et constructum crescit in augmentum Dei.\* <sup>20</sup> Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?† <sup>21</sup> Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis: <sup>22</sup> quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominum:‡ <sup>23</sup> quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo

---

\* **2:19** Constructum, etc. In unum per conjunctionem, quia idem credunt, et eadem operantur. Et subministratum in subserviendo. Per nexus. Id est per charitatem, sine qua membra non cohærent, nec invicem serviunt, nec vivunt. In augmentum Dei. Augetur Deus redeuntibus, sicut comminuitur deserentibus. † **2:20** Si ergo mortui. Hactenus monuit stantes ne seducerentur, nunc eos aggreditur, qui jam aliqua de lege servabant; quasi dicat: Vos videte ne seducamini, sed vos aliis dicite quare legem servatis? Elementa dicit creaturas hujus mundi. Si, inquit, cum fidem Christi accepistis, estis separati a peccato, et ab elementis mundi, id est ab abstinentia, et ab omni superstitione creaturarum mundi. Quid adhuc, etc. Potest accipi cum Christo ac sicut Christus. ‡ **2:22** Quæ omnia ipso usu, etc. Si quis utitur eis Judaico ritu, ut ab his abstineat, illis utatur, credens inde justificari, ducunt in mortem. Ista dico jam existentia secundum præcepta et doctrinas hominum, etc., non Dei: postquam enim veritas venit, jam non hæc Deus præcipit, sed Pharisæi et auctoritate hæc præcipiunt, et rationibus docent.

ad saturitatem carnis. §

### 3

<sup>1</sup> Igitur, si consurrexisti cum Christo: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: \* <sup>2</sup> quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. † <sup>3</sup> Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. ‡ <sup>4</sup> Cum Christus apparuerit, vita vestra: tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. <sup>5</sup> Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam,

§ **2:23** In humilitate, etc. Non intelligitur hic illa humilitas quæ est virtus, sed sicut ex Græco intelligitur, ea qua mens sentit humilia, id est utilia et terrena, id est dejectione animæ, et sunt: Non ad parcendum corpori. Quia in illis observantiis multus labor est, qui est inanis, et non sunt: In honore Dei, cuius consilium, irritum dicitur, nec sanctorum, quorum fides destruitur et non sunt: Ad saturitatem carnis, quia multa subtrahunt. In superstitione, etc. Simulata est religio ut videantur vera quæ falsa sunt, quæ mentes in terra humiliat, ne erigantur ad superna; et obest corpori, cuius caput Christus: non in honore quia truncati capite Christo explentes sensum carnis. Sagina enim carnalis est sensus traditio humana, quia hoc dicit sufficere quod carnis tradit prudentia.      \* **3:1** Quæ sursum sunt. Non loco, sed merito excellentiæ.      † **3:2** Quæ sursum. Spiritualia, quæ significabantur per carnales observantias, hæc sunt, gloria æterna et quæ ad eam ducunt.      ‡ **3:3** Vita vestra abscondita. Hoc est, tempus vestrum nondum advenit, quia nondum venit æstas, id est Christi adventus, ubi discernentur arbores fructuosæ a sterilibus; sed tempus terrena amantium semper est paratum. Cum autem Christus apparuerit, hoc est tempus nostrum.

et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus:<sup>§</sup>  
<sup>6</sup> propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: <sup>7</sup> in quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis.<sup>\*\*</sup> <sup>8</sup> Nunc autem deponite et vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.<sup>††</sup>  
<sup>9</sup> Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, <sup>10</sup> et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum:<sup>‡‡</sup> <sup>11</sup> ubi non est

---

**§ 3:5** Mortificate, etc. Post rationes de plenitudine Christi, generalis exhortatio ad omnes de moribus subditur, ne ad priorem consuetudinem redeant. Membra vestra. Id est partes veteris hominis, vel membrorum concupiscentias. Fornicationem, etc. Describit delicta quæ membra appellat, ut post acceptam veritatis rationem bonaë vitæ operam darent. Multum obest scire rationem veri, et non eam factis exsequi. Qui enim scit voluntatem Domini, et non facit, plagis vapulabit multis Luc. 12.. Et avaritiam. Sub uno nomine duo pessima prohibet, idololatriam et avaritiam, quæ non est dispar malitia, quia radix omnium malorum, et pene uno explentur opere: quia sicut idololatria uni Deo auferre nititur gloriam, ne solus nomen deitatis habeat, ita avarus in Dei res se extendit, ut solus usurpet quæ Deus omnibus fecit: utraque Deo inimica, quia negant Deo quæ ejus sunt.      **\*\* 3:7** In quibus et vos ambulastis. Hoc me morat ut se evasisse gaudeant et de cætero caveant.      **†† 3:8** Nunc autem. Supra vetuit graviora, nunc minora, ne hæc putentur non periculosa. Sunt qui non habent consuetudinem ebrietatis, qui aliquando inebriantur: sicut etiam sunt qui non habent consuetudinem mentiendi, et tamen aliquando mentiuntur, sic et in aliis fit. Prohibet ergo aliquando mentiri, et præcipue assidue mentiri.      **‡‡ 3:10** Qui renovatur. Renovatio mentis dicitur secundum Deum, ut in epistola ad Ephesios legitur, vel secundum imaginem Dei, ut hic legitur. Sed ideo secundum Deum ne secundum aliam creaturam fieri putetur.

gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber: sed omnia, et in omnibus Christus. <sup>12</sup> Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: <sup>13</sup> supportantes invicem, et donantes vobis metip- sis si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. <sup>14</sup> Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis: §§ <sup>15</sup> et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote.\*\*\* <sup>16</sup> Verbum Christi habitat in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, et commonentes vos metipos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.††† <sup>17</sup> Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo

---

**§§ 3:14** Charitatem. Ilsa est enim eminentior via quæ supereminet scientiæ et omnibus præceptis. Hæc est vestis Domini inconsutilis desuper contexta. Inconsutilis ne aliquando dissutilis, quæ ad unum pervenit, quia charitas in unum omnes colligit.

\*\*\* **3:15** Pax. Hæc est necessaria ad unitatem corporis, quam ipsa fecit. Pax Dei. Potest pax dici quæ non habet charitatem; charitas vero semper secum habet pacem. ††† **3:16** Docentes et commonentes. Hoc dicit, ut doctrina fiat illis qui nesciunt, et commonitio illis qui sciunt.

et Patri per ipsum.### 18 Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. 19 Viri, diligithe uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. 20 Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. 21 Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. \$\$\$ 22 Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. 23 Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus: \* 24 scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite. 25 Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit: et non est personarum acceptio apud Deum.

### 3:17 Omne quodcumque. Quia præcepit supra Deum laudari in corde, nunc et in verbis et in factis nomen Dei laudari, et exaltari hortatur: ut sic verba nostra et opera careant reprehensione, ut magnificetur Dominus, cuius magisterio invituperabiles sunt discipuli. Omnia. Non solum quæ facitis in verbo vel opere, sed omnia, etiam cogitationes, et si qua sunt alia. Vel quidquid facitis, facite omne, id est perfectum, Deo attribuendo, et hoc est, facientes in nomine. Gratias agentes. Tunc vere agimus gratias Deo per Christum, si modum præceptorum ejus custodiamus. \$\$\$ 3:21 Patres. Modestos præcipit patres esse filii, ne coarctati ab illis, delinquent in illos, et Deum offendant. Ira enim inconsiderata res est, ita ut aliquando nec sibi parcat qui irascitur. \* 3:23 Ex animo operamini sicut Domino. Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore justitiæ: nam qui timore non peccat, quamvis non noceat aliis, sibi tamen plurimum nocet. Simulata æquitas non est æquitas, sed duplicatum peccatum. In quo est iniquitas et simulatio.

## 4

<sup>1</sup> Domini, quod justum est et æquum, servis præstate: scientes quod et vos Dominum habetis in cælo. <sup>2</sup> Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione: <sup>3</sup> orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vincimus sum),\* <sup>4</sup> ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. <sup>5</sup> In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt: tempus redimentes.† <sup>6</sup> Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. <sup>7</sup> Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater, et fidelis minister, et conservus in Domino: <sup>8</sup> quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra,‡ <sup>9</sup> cum Onesimo carissimo, et fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis. <sup>10</sup> Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum:§ <sup>11</sup> et Jesus, qui dicitur Justus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. <sup>12</sup> Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus,

---

\* **4:3** Ostium. Id est os meum faciat apertum: quod ad hoc datum est, ut inde prodeat verbum. Apertum est, quando multa et magna dicit. † **4:5** Tempus redimentes. Id est opportunitatem prædicandi eis, aliquibus modis, præparantes. ‡ **4:8** Ut cognoscat quæ circa vos sunt et consoletur corda vestra, etc. Magis cavet qui se videt cognosci, quam qui se videt ignorari. § **4:10** Accepistis, quod rediit ad me, et ideo si venerit.

ut stetis perfecti, et pleni in omni voluntate Dei.  
<sup>13</sup> Testimonium enim illi perhibeo quod habet multum laborem pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiciæ, et qui Hierapoli. <sup>14</sup> Salutat vos Lucas, medicus carissimus, et Demas. <sup>15</sup> Salutate fratres, qui sunt Laodiciae, et Nympham, et quæ in domo ejus est, ecclesiam. <sup>16</sup> Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur: et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.\*\* <sup>17</sup> Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. <sup>18</sup> Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.††

---

\*\* **4:16** Facite ut et in, etc. Ex hoc loco intelligimus, quod generales sunt instructiones Apostoli, et ad omnium hominum profectum scriptæ sunt epistolæ. †† **4:18** Memores estote, etc. Antequam salutationem ponat, præmittit exhortationem dicens: Memores, etc.

**Bibbia Vulgata Clementina na 1598  
Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria  
Migne edition 1880 in Latin**

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

---

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 11 Nov 2022 from source files  
dated 9 Oct 2020

7ca33455-379f-554d-a635-9009adbd90c5